

lis, ut vel ipse talis aspectus orexin ad simul manducandum creare possit. Nocturno vero tam quiete et suaviter dormientes reperietis, ut dum pedibus lectum conscenderunt, jam caput ut vulgus dicitur, obdormierit, sicque impletum sit, quod Salomon l. c. dixit, scilicet dulcem et suavem operanti somnum esse. Hic nimirum labor optimus medicus, optimus Morphetus seu somni conciliator, et optimus coquus est; hic malos humores dissipat, et sic morborum radicem tollit; hic curas inutiles fugat, et sic vigiliarum causam auferit: hic cibos optime condit, efficitque, ut, quemadmodum Salomon Prov. xxvii. ait: *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumat*; uti quondam fassus est Rex ille, qui, cum in venatione avidius feram insectatus, longius aberrasset, sicque sub serum vesperem ad Eremitam divertere coactus, nihil nisi mucidum panem et aquam gustasset, aperte ac sincere pronuntiavit, se toto imperii sui tempore nunquam esse suavius epulatum, eo quod scilicet nunc famem velut optimum coquum fuisse nactus. Quis igitur neget, rusticos prae aliis hominibus corporis voluptates participare? Non minus vero etiam animi gaudiis, quae ex bona conscientia oriri diximus, fruuntur; si enim *otium*, teste Eccl. c. xxxiii. *omnem malitiam docet*, an non proscripto otio velut radice etiam proscribi peccata velut infelicia germina dicemus? Quis vero hoc otium magis proscribit, quam rustici totis diebus et mensibus in labore occupati? Et sane ipsa experientia satis confirmat, minimam absolutionis materiam, imo interdum prope nullam apud laboriosos rusticos a confessariis reperi; et si quidem interdum reperitur, talia peccata, plerumque diebus festis, aut aliis temporibus, quibus otio vacarunt, commissa ab ipsis fuisse. Hinc ingeniose non nemo iucunditatem conscientiae ex laboriosa eorum vita exortae accommodata fabula expressit, dum dixit, factum esse, ut quondam musculus inhabitans civitatem, alium musculum in villa commorantem inviseret, cumque ei a rurali musculo nonnisi mucidus, durusque panis pro convivio appositus esset, nauseans ille tam tenuem cibum, rusticum murem, ut secum in urbem ambularet, invitaret, alias se delicias apposituram pollicitus. Nec felicit sane, quippe illum in cellam penuriam omnium ciborum genere abundantem duxit, sed vix delicias gustare coeperant, cum ecce tibi felix ex insidiis adfuit, et ita ambos exterruit, ut

vix ad foramina sua redire salvus licerit. Quare recollet nonnihil a terrore spiritu valedixit ruralis musculus urbano, et haec pauca pro coronide adiecit: «Vale, frater, et tuas tibi delicias habeo, ego mucido meo pane contentus, malo deinceps ruri absque timore vivere, quam inter ejusmodi delicias perpetuum vitae periculum subire.» Annon in musculo hocce ingeniose felicitatem vitae vestrae adumbratam cernitis? Annon et vos, et quidem experti fatebimini, veram esse Salomonis sententiam, qua dixit: *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus pleni jurgis?* O igitur vere felices vos, si bona vestra nossetis agricolas.

Pars secunda.

Jam vero, ut ad alteram felicitatis rusticanae partem veniamus, quis confidentius mortem, quam rustici, alique similes homines expectant? Quis enim magis liber est ab iis, quae mortem terribilem et ingratam faciunt? Tria equidem invenio, quae faciunt, ut minus libenter homines moriantur. 1^o Derelictio honorum et amicorum. 2^o Impugnatio Daemonum. 3^o Timor rationis Deo reddenda, quae omnia breviter complexus esse videtur Eccles. c. xli. dicens: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Hinc enim provenit, ut tam aegre deserantur bona praesentia, quia futura, quae contempserunt, sperare non possunt; hinc timent impugnationem Diaboli, quia sciunt, quod S. Paulus I. Cor. vi. dixerit: *Eos, qui volunt divites fieri, incidere in tentationem, et in laqueos Diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem.* Hinc tantopere timent rationem reddere, quia sciunt dictum a Christo, quod *cui multum datum est, multum queretur ab eo.* Lec. xii. Quodque adeo horrendum sit incidere in manus Dei viventis, et de quovis obolo, punctoque temporis rationem severissimam exacturi. Atqui horum nihil meture habent rustici; cum enim plerumque tenuibus opibus praediti sint, et in hoc corpore velut in exilio aut carcere vixerint, facile rapinam bonorum suorum a morte factam tolerant, scientes se habere meliorem substantiam. Hebr. x. ideoque dicunt potius cum S. David Ps. cx. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est;* et cum S. Paulo i.

PHILIP. *Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo.* Hinc neque tentationes Diaboli admodum timent, ut qui nudi cum illo luctantur, atque adeo, unde eos apprehendere possit, non habent; unde sicut pauper securus cantat coram latrone viator, ita etiam ipsi securi ad patriam pergunt. Omnium minime vero rationem reddere debent, quia cum pauca acceperint, pauca requirentur, satisque fideliter composita erit ratio, si suo statu contenti fuisse, et fideliter ad Dei gloriam laborasse, et tribulatione patienter perpessi fuisse deprehendantur. Atque haec videlicet causa est, cur Joannes Arragoniae, et Philippus II. Hispaniae Reges, cum ad mortis confinia pervenissent, rusticorum praecipue sortem sibi optarint, dixerintque ad suos: «Quid prodest modo nobis dignitas, quae eminumus? Quid potentia, quae polluimus? Et quid honores, quibus fulsumus? Quid divitiae, quibus abundavimus? Quid voluptates, quibus frui sumus? Transierunt omnia tanquam umbra, et nihil nobis reliquerunt, nisi vanitatem, animique afflictionem. O utinam rusticorum nobis infima sors obtigisset! Quam laeti alique securi nunc aeternitatis iter ingredere, et coram supremo Judice compareremus!» Ecce dilecti, quid de noctis vestrae securitate summi Reges, et eo tempore, quo magis illuminatos plerumque oculos, et intellectum vexatio morborum et mortis imminens facere solent, sentiant. Quam vere adeo dixerit Ecclesiasticus xli. *O mors bonum est judicium tuum homini indigenti; et qui minoratur viribus, et cui de omnibus cura est: noli meture judicium mortis.* Si ergo a felici morte merito sapientes omnem nostram felicitatem pendere arbitrantur, annon vel ex hoc capite optissimum dicemus rusticorum statum, in quo, ut vidimus, tam beatam et tranquillam mortem sperare licet?

Pars tertia.

Sed forte post mortem minus felices erunt? Neutiquam profecto; si enim ea capita, ob quae majus in altera vita praemium hominibus contingere solet, accuratius examinem, vix ullo in statu aequae, ac rusticorum reperio.

Si enim primo juxta Servatoris dictum MATTH. xxiii. *Qui se humiliaverit, exaltabitur, et qui magis se humiliaverit, tanto magis exaltabitur,* perinde ac pila, quo fortius

terre impacta est, tanto altius sursum resiliit. Quis dubitet rusticos in oculis olim praee aliis exaltandos esse, qui praee aliis, dum adhuc in terris viverent, humiliati sunt? Si enim humilitatis est vilissimum, et infimum locum libenter tenere, et ultra querere, annon huic locum rustici praee aliis tenere conspiciuntur? Si humilitatis est libenter ab aliis contemni et irrideri velle, annon hoc ipsum rustici praee aliis velle possunt, si occasione, quae frequenter ipsis occurrunt, arripere velint? Si humilitatis est, humilia et vilia officia libenter obire; annon hoc praee aliis rustici faciunt, qui inter pecora et fimum majorem vite partem consumunt? Si humilitatis est, nihil sibi de suis operibus, sed soli Deo omnia adscribere, quis minus inani huic gloriae obnoxius, quam rustici deprehenditur? An ergo si ex virtutis motivo seu propter Deum libenter tales esse, tales videri et ut tales tractari velint? Annon merito credimus, eos tanto altius in caelis supra alios elevandos, quanto profundius in hac vita infra alios descenderunt? Non immerito certe creditur, rusticis in altera vita eventurum quod gallinis, et magnis dominis, si non bene vivant, quod falconibus solet evenire; ut enim falcones, dum vivunt, in magno pretio et honore sunt, et in manibus portantur, optimo cibo pascuntur, et dum in aere, cum adversariis dimicant, omnium in se animos, oculosque convertunt; postquam autem mortui sunt, ad nihilum utiles reputantur, et in finetum abijciuntur. E contrario vero gallinae, quamdiu vivunt, a nemine honorantur, sed ex domo expulsae grana pro victu ex fineto, aut terrae sordibus eruere coguntur; postquam vero occisae sunt, summo studio primum deplumantur, variis aromatibus condiuntur, optimo jusculo immergantur, in argentea, aut omnino aurea patina collocantur, alicuius seui dapifero rum manibus ad mensam regum portantur, et in ventre Regum, Principumque velut sepulchro conduntur; ita pariter magni domini in hac quidem vita ab omnibus coluntur et amantur, oculosque omnium in se conversos habent; post mortem autem, si male vixerint, in finetum inferni abijciuntur. E contrario vero rustici, licet in hac vita victum suum in fineto quaerere cogantur, post mortem tamen, quae pretiosa est in conspectu Domini, cum Lazaro portabuntur ab Angelis in caelum, ibique in sinum Abrahae aeternam quietari absceduntur.

Si jam? *Sicut socii passionum cum Christo fuimus, ita et glorie erimus*, Apost. testo I. Cor. v. Annon iterum merito credimus, rusticos præ aliis magna in oculis gloria fructuros? Ut qui tam multa cum Christo pati coguntur? Quis enim est, qui Christum patientem magis repræsentet, quam illi? Annon enim sepe sanguinem sudare, id est, opes cum tanto labore partas suis superioribus offerre debent, et gravissimo propterea morore afficiuntur, ita ut non raro dicere cum veritate possint: *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Annon sepe illi ab uno tribunali ad alterum cum ludibrio mittuntur, et sepe omnino injuste condemnantur, alisque, qui muneribus iudices corruerunt, postponuntur? Annon illi crudelibus flagellis, id est, injustis penis et exactionibus flagellantur? Annon frequenter coronas spineas portare, id est, durissima imperia audire, et exequi coguntur? Annon illi labores graves, aliasque plurimas miseras velut gravissimam crucem ferre coguntur? Annon denique illi in cruce sua omnino plerumque moriuntur? Si ergo hæc omnia propter Christum patienter, libenter, et constanter ferant, annon ingentis glorie in oculis obtinenda spem justissimam concipere possunt? Annon ipsi præ aliis audient illud solatio plenissimum Christi encomium Luc. xxi. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ideo dispono vobis, sicut disposui mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel?*

Quod si denique tertio ii, qui charitatem proximi præ aliis exercent, Deum in altera vita liberalem maxime sunt reperituri, ut qui, quandoquid aliquid facimus uni ex minimis suis, sibi factum reputat. Annon ex hoc quoque titulo magnam gloriam sperare rustici possunt? Annon enim illi cum gaudio et magna confidentia accedere ad Judicem, et cum veritate dicere olim poterunt: Domine vidimus te esurientem in servis tuis, ideoque cum magna diligentia colimus agros, ut pascereamus te in illis: vidimus te sitientem, et ideo vineas et hortos colimus, ut vino et cerevisia possemus potare te: vidimus te nudum, et ideo pecora, agnosque curavimus, ut ex his possemus vestire te. Si ergo, qui vel semel dumtaxat ejusmodi opera charitatis præstitit, justissimam spem concipit magnæ glorie obtinende, quantam sperare poterit

rusticus, qui non semel tantum talia officia præstitit, sed totam propemodum vitam in iisdem consumpsit.

Epilogus.

Credo itaque videre vos tandem, quod ab initio probaturum me promittebam, scilicet esse felicissimum statum rusticorum, si pie et Christiane vivere student, quid ergo superest, nisi ut saluberrimam Siracidis Eccl. ii. doctrinam, vobis datam putetis, dum dicit: « Confide in Deo, et mane in loco tuo; facile est enim in oculis Dei subilo honestare pauperem. » Dicit ergo cum Jobo xxix. c. *In nidulo meo moriar, et super palmam multiplicabo dies.* Dicit cum S. David ii. Reg. *Ludam, et vilior fam plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis;* venit, veniet aliquando tempus, quo ea, que ante commemoravi, impleta videbitis: veniet tempus, quo illi, qui vos in hac vita adeo presserunt, et despexerunt, dicere cogentur: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperi. Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors eorum est, quam vobis omnibus concedere dignetur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.*

Exemplar secundum.

In quo ostenditur, quomodo certa quadam actio breviter rusticis commendari queat.

Thema.

Ite, et vos in vineam meam. MATH. x.

Scopus.

Amor laboris persuadendus.

Syllogismus principalis.

Tunc merito amandus est labor, quando is a Christo ipso electus, et per totam vitam susceptus est; et nos a gravibus malis defendit; et ingentia bona procurat; atqui hæc

omnia facit labor; ergo merito amandus est.

EXORDIUM.

Legitur apud S. Lucam c. ix. quod, cum Christus Samaritanos invisere vellet, et hi eum non recepissent, discipuli ejus indignati dixerint: *Domine vis dicimus, ut ignis descendat de celo, et consumat illos?* Quos Christus quam primum arguit dicens: *Nescitis, cujus spiritus estis:* quasi diceret, non estis memores vocationis meæ et vestræ, alioqui talia dicta non proferretis. Quod hoc loco Christus Apostolis dixit, hoc idem iudicio meo etiam non raro rusticis dici posset, quando tantopere laboriosam suam vitam detestantur, et se ob hanc causam infelicissimos putant: *Nescitis, cujus spiritus estis.* Nescitis, quod *Sicut avis ad volatum, ita homo ad laborem natus sit,* Jobo teste c. v. Nescitis vocationem rustici specialem esse, ut vitam in laboribus recte susceptis consumat, et per hoc æternam quietem sibi comparet. Quare ut deinceps saltem labores magis ametis, et vocationem vestram perfectius prosequamini, afferam in hac concione breviter causas propter quas laborem singulariter amare, et constanter exercere debeatis. Attendite diligenter, quia si dicenda bene perceperitis, et retinueritis, non modicum inde solatium referetis.

Pars prima.

Tres præcipue causas invenio, ob quas laborem singulariter amandum censeo. Prima et præcipua est *Exemplum Christi*, qui de seipso per Davidem Ps. lxxvii. latetur. *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Quis autem vel ex hoc solo capite laborem non summpere æstimandum et amandum dicat? Cum enim Christus nobis in Duce et Magistrum datus sit, annon merito illam vitam et viam, quam ille verbo et exemplo docuit, felicissimam putabimus? Et vero etiamsi talis non esset; annon solum exemplum illius merito sufficere deberet ad labores impigre assumendos? Quis enim servus, si Dominum videret alacriter se ad laborem accingere, non erubesceret, si Domino laborante ipse a labore eximi et quiescere vellet? Aptum hujus rei exemplum in Hannibale, ejusque militibus habemus; cum

enim hic dux fortissimus exercitum super montem aliquem nive et frigore obstitum ducere destinasset, videretque milites graviter ab hoc itinere abhorrere, prior ipse montem aggressus est, et mox effecti, ut milites quoque alacres sequerentur. Idem ergo et Christus erga nos homines fecit; vidit nimirum laborem asperum et durum esse, atque adeo a nobis difficulter suscipiendum; itaque prior ipse illum suscepit, ut suo exemplo nos ad eum suscipiendum animaret. Quis ergo nunc sequi eum detrectabit? Quis laborem recusabit? Et si omnes laborem amare debent, quanto magis rustici, qui specialiter ab eo ad hoc vocati sunt, ut laboris sui illos socios haberet? Hoc ergo, o dilecti, hoc exemplum frequenter ob oculos ponite, et haud dubie deinceps levissimos omnes labores reputabit. Si enim juxta commune proverbium, solatium est miseris, socios habere, et jucundus comes est viæ vehiculum; annon summum solatium reputabit, si adverteritis, vos in laboribus Deum ipsum, Redemptorem et Benefactorem maximum, qui et in hac, et in altera vita vos beatè potest, socium nactus esse, annon dietis suo modo cum S. Bern. « Nolo esse sine vulnere (et labore) quando Dominum meum video vulneratum, et sub laboribus fatiscentem; verbo: Non sentit sua vulnera miles: nec rusticus laborem, qui Ducis vulnera (et laborem) intuetur. »

Pars secunda.

Alterà causa, ob quam amandum dico laborem est, quod a gravissimis curis corporis, et animi defendat. Quod enim gravius malum corpori accidere potest, quam si sanitas per varios morbos lædatur, et appetitus ad cibum et somnum, velut duo præcipua vite humane sustentacula tollatur? Atqui ob omnibus his malis præcipue labor defendit, unde enim provenit, quod plerumque inter rusticos tam pauci ægri reperiantur, unde fit, ut his præ aliis cibis, etsi vilis, optime sapiat? Unde fit, ut præ aliis suavissime dormiant? Profecto non alia horum omnium causa, quam labor est, ut non immerito quidam laborem propterea optimum medicum et coquum, et somni conciliatorem dicant. Porro quod gravius malum anime est, quam peccatum? Quis autem ab hoc potentius defendit, quam labor; ut qui ipsam radicem mali tollit? Duplicem enim omnium malorum radicem repe-

rimus. Prima est otium, de quo jam pridem Eccl. c. xxxiii. *Multam malitiam docuit otiositas*. Notumque est illud Poetae: « Otia si tollas, periere cupidinis (et omnis alterius peccati) arcus. » Certe, quia David, dum alii Reges ad bella procedebant, in domo otiosus sedit; in gravissima illa adulterii et homicidii scelera incidit. Sed et inter potiores Sodomiticorum peccatorum causas hoc otium numeratur Ezech. xvi. *Itaec fuit iniquitas Sodome sororis tue, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus*. De otioso nimirum verificatur illud Salomonis Prov. xxiv. *effatum: Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum replerunt urticae*, seu peccata. Quod autem efficacius medium ad otium hoc proscribendum, quam labor reperiri potest? Ita sane et experientia docet, et sapiens Eccl. xxxiii. testatur, dum ait: *Cibaria, et virga, et onus asino, panis et disciplina, et opus servo. Operatus in disciplina, et quaerit requiescere: laxa manus illi, et quaerit libertatem (ad peccandum) jugum et locus curvant collum durum, et servum inclinant operatione assidue. In opera itaque constitue illum, hoc enim condecet eum*. Altera causa est tentatio Diaboli, qui tunc maxime impugnat, quando hominem otio deditum videt. Hinc Christum aggressus est, quando putavit, eum in deserto otio vacasse. Hinc etiam recte S. Hieronymus. monet: « Facito semper aliquid operis, ut diabolus te semper occupatum inveniat. » Nam, ut antiqui Patres sentiebant, laboriosus ab uno, otiosus ab innumeris Daemonibus oppugnatur. Id quod ipse Deus S. Antonium docuit. Cum enim hic Sanctus ab otio et Demone graviter impugnaretur, remediumque a Deo peteret, hic Angelum ei misit, qui modo oravit, modo legit, modo laboravit, comedit, dormivit, simulque dixit Antonio: « Sic age, et liberaberis. » Quis ergo laborem hac de causa non singulariter amet? Quis enim adeo insanus et ingratus est, qui, si videret domum suam aut patriam a hostibus savissimis circumdatas, et manifesto in periculo vitae, et omnium bonorum versaretur, a Rege autem quodam ex speciali gratia ipsi dux aliquis cum exercitu fortissimo in auxilium mitteretur, nollet hunc duce in domum suam vel patriam intramittere? Cum ergo a tot corporis animaeque malis undique obsideamur, et ab his, ut vidimus, laboriosa vita ex speciali gratia a Deo nobis praedestinata, tam potenter nos

liberet; annon aequissimum putamus, ut laborem pro summo beneficio agnoscamus, atque adeo illum non modo avidissime amplectamur, sed etiam usque ad finem vite continuemus?

Pars tertia.

Tertia, eaque non levissima causa ad labores alacriter suscipiendos impellens est *premi magnitudo*, non tam in hac (quam nec hic desint ingentia commoda) quam in altera vita percipienda. Quam quidem breviter complexus esse videtur Servator noster: dum MATTH. xiii. dixit: *Regnum caelorum simile est thesauro abscondito in agro*, cur enim illud comparavit thesauro in agro, et non potius in palatio, aut urbe abscondito; nimirum indicare videtur voluisse, quod per laboriosam vitam, quae in agro potissimum exercetur, praecipue beatitudo in regno caelorum possidenda obtineatur; facti nempe, nobiscum Deus, quod Rusticus quidam fecisse scribitur, qui in agone convocans filios suos, quos plures habebat, dixit illis, in vinea sua thesaurum latere, cumque illius fore, qui primus ipsum invenisset, et eruisset. Cum ergo filii post mortem Patris totam vineam magno labore circumfodissent, thesaurum quidem nullum repererunt, sed quia vineam tali fossione valde frugiferam effecerunt, magnum inde lucrum perceperunt, id quod pater thesauri nomine intellexerat. Idem ergo nobiscum facit Deus, atque ut ad laborem diligendum, impigricque suscipiendum animet, thesaurum non quemcumque, sed regni caelorum latere ait. Et hinc videlicet est, quod merito SS. Patres amorem ad laborem pium et honestum inter praecipua praedestinationis signa numerare non vereantur; aiunt enim perinde in die iudicii Christum nobiscum acturum, sicut olim Cato cum iis, qui cives Romani fieri volebant, egisse scribitur; sicut ergo is ante omnia manum sibi porrigi iubebat, et si quidem teneram et nitidam viderat, talem ut ineptum pro cive Romano repellebat; si vero callosam, et labore attritam deprehenderat, tum enim vero talem utpote labori assuetum civibus Romanis adscribere non dubitavit. Ita, et Christus in die iudicii manus iudicandos porrigi iubebit; et si quidem labore utili propter ipsum suscepto attritis repererit, eorum possessores caelo dignos iudicabit; si autem otium, et laboris ca-

rentiam tersas, nitentesque invenerit, a civitate caelesti eos excludet. Id quod non uno exemplo ostendit; sic enim de murario quodam apud Nicolaum Lanciz. opusc. xv. n. 10. legitur, quod post mortem apparetis toto quidem corpore magnum splendorem habuisse conspectus fuerit, sed manus praecipue admirando splendore fulserint. Eo quod hae potissimum in labore peragendo, propter quem murarius iste caelum obtinuerat, fuerint occupatae. Sic etiam de Menna Monacho S. Climaus, conc. iv. narrat, quod post mortem ex eius sepulchro, liquor mire odoriferus effluerit, cumque Abbas miraculi stupore attonitus aperiri sepulchrum iuberet, deprehensum est, quod ex pedibus promanasset, utpote quibus obedientiae opera praecipue fuerat usus. Prae reliquis tamen memorabile est, quod in vita S. Bern. legitur ipsa SS. Mater Dei vasculum aliquod sudore plenum cuidam Monacho ostendisse, dixisseque, hunc esse sudorem, quem ex fratrum in agro laborantium corporibus collegisset, quemque adeo nunc Filio suo oblatura, debitumque pro eo praemium expetitura esset. O si haec omnia diligenter expendere rustici, quam prompti et alacres forent ad quosvis labores exantlandos. Dicite, quae, Auditores, si Rex aliquis promulgari iuberet, si deinceps pro quovis motu corporis propter ipsum suscepto ducatum daturum, annon gaudium difflueretis ob hunc tam exoptatum nuntium? An ullum laborem vobis difficilem futurum putaretis? Cum ergo Deus non Ducatum tantum, sed tale gaudium, quod in cor hominis non ascendit, pro quovis etiam minimo labore ad gloriam suam suscepto promiserit, annon memoria et spes hujus praemii omnem vobis, quantumque laborem, dulcem efficit? Memorabile hunc in finem exemplum vitae Patrum offerant, dum narrat, Eremitam fuisse, qui advertens nimis molestum esse laborem in aqua quotidie de fonte tam remota haurienda susceptum, statuit cellam suam propius ad fontem extruere, in qua cogitatione dum pergat ad dictum fontem, audit aliquem pone sequentem, gressusque numerantem, quare se convertens, Angelum quo videns interrogat: Ecur gressus istos numeraret? Cui respondit Angelus, ideo se eos numerare, ut quemvis eorum Deo offerat, aeternumque pro eo praemium petat. Quod ubi audivit Eremita, si sic res se habet, ait, non modo propiorem cellam meam fonti non faciam, sed remotius ab antiquo

loco aedificabo, ut occasionem habeam plures pro Deo gressus faciendi.

Epilogus.

Agite ergo dilecti, et vel hodie iterum illum S. Pauli I. Cor. xv. sententiam vobis in memoriam revocate: *Itaque, fratres mei, stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini, semper scientes, quod labor vester non est inanis coram Domino*. Cogitate illa Dei verba repeti ad vos Aroc. cap. ii. *Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam*, et suo tempore compensabo, mementote olim in vobis impletum iri, quod S. David PSALM. cxxv. dixit: *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantem manipulos suos*. Tunc dicetis cum gaudio illud Eccl. c. lvi. *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem*, quam nobis omnibus per merita et labores suos impetrare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu S. vivit in saecula saeculorum. Amen.

Exemplar tertium.

In quo ostenditur, quomodo una materia in plures conciones dividi et tractari possit.

Thema.

Praeceptor, tota nocte laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. LUC. v.

Scopus.

Ostendendum, quid ante laborem observandum sit, ut fructuose suscipiatur.

Syllogismus principalis.

Omnis actio in nomine Domini inchoata felicem sortiatur exitum; atqui actio, quae in gratia Dei cum legitima intentione, et invocatione divini auxilii suscipitur, inchoatur in nomine Domini, ergo felicem sortiatur exitum.

EXORDIUM.

Quod in hodierno Evangelio Apostols evan-
nissime legitur, id vereor, ne multis, et utinam
non plerisque rusticis, aliisque hominibus,
qui inter labores vitam suam consumunt,
eveniat, vereor, inquam, ne plerique in
vita sua sine cum dolore et rubore dicere
cogantur: *Preceptor, tota vita laborantes,
nil cepimus.* Neque tamen causam multum
et diu indagare oportet. In prompta quippe
est, id unice ex hoc capite provenire, quod
ea, quae ante, in, et post labores observanda
sunt, studioso non observent, seu, quod
idem est, quod in verbo Domini retia suo-
rum laborum, conatumque non laxent.
Quare ne vobis idem eveniat, dicam in hac
et sequentibus concionibus, quid in labori-
bus vestris observare debeatis. Et hodie qui-
dem initium faciam ab iis, quae ante laborem
observanda sunt. Spero proinde, sicut mat-
teria haec omnibus valde necessaria est, ita
etiam ab omnibus magna cum attentione au-
ditum iri.

Propositio.

Commune apud Latinos proverbium est:
Dimidium facti, qui bene cepit, habet, quod
Germani nostri sic proferant *wohl gefangen,
an, ist halb gethan.* Quo quidem indicare
voluerunt, plurimum ad felicem actionis exitum
sortiendum conducere, si ea bene inchoet.
Hinc S. Climacus dixit, peculiarem
Demonem esse constitutum, qui *praecursor*
vocatur, cuius officium sit, homines impe-
dire, ne primas diei cogitationes, Deo offerant,
eo quod experientia constet, ejus plerumque
totum esse diem, qui primas sibi
cogitationes vindicaverit. Quod iste Sanctus
de die dixit, hoc de quovis opere merito dici
debet, atque adeo quicumque cupit felicem
suae actionis exitum obtinere, ante omnia
studeat, ut bene incipiat talem actionem; id
autem quomodo praestandum sit, pulchro S.
Petrus suo exemplo in hodierno Evangelio
docuit, dum dixit: *In verbo tuo (id est nomine)
laxabo rete.* His enim verbis significa-
vit tria requiri, ut actio aliqua bene inchoet.

Pars prima.

Enim in nomine Domini laborare idem signi-
ficat, ac in *charitate et gratia Dei*, labo-
rare. Hunc enim sensum videtur hodiernum
Evangelium confirmare, dum narrat, Apos-
tolos Christo non praesente frustra laborasse;
quam primum autem praesens fuit, mox eos
felicem piscationis successum fuisse sortitos,
nimirum verissimum est, quod ipse Joannis
xv. dixit: *Sine me nihil potestis facere; qui
autem manet in me, et ego in eo, intellige
per gratiam et charitatem, hic fert fructum
multum.* Et haec videlicet est causa non mi-
nima, cur tam multi totis diebus et mensibus,
et annis laborantes, nihil capiant. Quam
multi enim sunt, qui post peccatum mortale
commissum nil minus cogitant, quam de
statu gratiae recuperando, donec forte ex
precepto aut alio titulo confiteri cogantur.
Quid mirum ergo, si nullam a Deo benedic-
tionem obtineant; nam *Benedictio Domini
super caput justis*, teste Salom. Prov. x. Hinc
ipse Deus olim Israelitis sequentibus verbis
alloquitur est. *Levit. xxvi. Si in praecipis meis
ambulaveritis, et mandata mea custodieritis,
et feceritis ea, dabo vobis pluvias in tempori-
bus suis, et terra gignet germen suum, et
pomis arbores replebuntur. Quod si autem
non audieritis me, visitabo vos velociter in
egestate et ardore, frustra feretis sementem,
quae ab hostibus devorabitur. Consumetur in-
cassum labor vester, non proferet terra ger-
men, nec arbores poma praebunt.* Si ergo,
dilecti, cupitis, ut deinceps labor vester felici-
tate succedat, in nomine Domini et gratia
Dei emendem inchoate. Et quemadmodum an-
tequam agrum arare incipiatis, prius lapides,
si quos ibi videtis, tollitis, ne semen suffo-
cent, et irritum laborem vestrum faciatis;
ita simul imo magis noxios lapides peccata
vestra putate, atque adeo ante omnia per
veram confessionem aut contritionem ea tol-
lere studete, ne fructui, quem speratis, im-
pedimento sint.

Pars secunda.

In nomine Domini laborare idem signifi-
cat, ac cum *Dei auxilio* laborare; ita Chris-
tus Marc. xvi. dixit: *In nomine meo Demonia
ejicient.* Atque haec est secunda industria,
quam ante laborem nostrum praemittere de-

bemus, auxilii scilicet divini invocatio. Ita
sane Christus passim suo exemplo docuit,
dum plerumque ante, quam principale ali-
quot opus inchoaret, oculos ad caelum leva-
vit, et a Patre auxilium petivit, non quod
ipse eo indigeret, sed ut nos, quid facien-
dum esset pro felici actionum nostrarum suc-
cessu, exemplo suo doceret. Hinc et Ecclesia
omnibus horis devotissimum illum, et a Cas-
siano miris laudibus celebratum versuculum
Deus in adiutorium meum intende: praemittit.
Nimirum novit sapientissima mater,
quod ut S. David Ps. cxxvi. ait: *Nisi Domi-
nus edificaverit domum, in vanum laborave-
runt, qui edificaverunt eam*; nimirum plantare
et rigare nos possumus, id est, conatum ex
nostra parte adhibere, at incrementum dare
ad Deum pertinet, ut recte S. Paulus I. Cor.
v. docuit. Errant proinde et graviter errant,
qui omnem fructum a suo labore, et indus-
tria pendere existimantes, Dei auxilium per
preces invocare negligunt; et sane non pau-
cos reperire est, qui summo mane ad labores
se accingunt, quos si hortatur quispiam, ut
prius orationem aliquam praemittant, dicere
audebunt, sibi non vacare jam ad orandum,
sed ad laborem properandum esse. Sed hi
vel ex suis factis, et dictis errorem suum
deprehendere et corrigere possunt: Dicite
enim, o boni, si, dum falcem vestram
accutis, aut currum inungitis, quispiam sic
vos alloquitur: O tarda animalia, cur tem-
pus hoc labore teritis? Cur ad laborem non
properatis? Dicite, inquam, quid sic loquenti
responsuri essetis? Annon diceretis eum re-
rum practicarum imperitum esse? Neque
inutile esse laborem, qui in acuendis ins-
trumentis insumitur, sed potius plurimum
promoveri? Idem ergo vobis dictum de ora-
tionis putate; oratio est, quae acuit instru-
menta, id est, potentias vestras; oratio est,
quae ungit actiones vestras, et fructuosas
facit. Hanc ergo ante omnia praemittite, et
tempus, quod in ea impenderitis, optime col-
locautum credite. Ita sane expertus est Isido-
rus, qui, ut in ipsius vita refertur, sepe ad
templum laboris tempore se contulerat; et
quamvis a sociis accusatus fuerit, ac si Do-
mino fidelis non esset, tamen post inquisitionem
reperitum est, plus ab eo laboratum,
quam ab aliis fuisse, eo quod Angeli ipsius
loco, dum in templo morabatur, laborarint.
Longe adhuc memorabilis exemplum in vita
S. Joan. Eleemosynarii legitur, quod scilicet
duo sartores fuerint quorum alter uxorem li-

beros et reliquam familiam facile alebat, etsi
nonnisi ordinariis diebus laboraret; alter
vero, etsi dies noctesque etiam festos labo-
rando inumeret, cum extrema tamen pau-
pertime conflictabatur, quare benedictionem
alterius demirans quaesivit; quo tandem re-
medio ueretur, ad eam impetrandam? Cui
pius sartor respondit, se libenter locum, ubi
ea sibi obtingeret, ostensurum, simulque ad
templum Missae audiendam gratia aliquot vic-
ibus deduxit, et tandem causam benedictionis
avidius cognoscere cupientem respondit, ipsis-
simum esse locum, ad quem duxisset; neque
enim aliunde rectius eam, quam a Deo spe-
rari ut qui aperte dixerit: *Quaerite primum
regnum Dei et iustitiam ejus: et haec omnia
adjicientur vobis.* MATTH. VI. Notate hoc,
quotquot hactenus magis vobis, quam Deo
confisi, vix unquam Dei auxilium pro actio-
nibus vestris invocare consuevistis. Notate,
inquam, discite causam agnoscere, ob quam
tam exiguum benedictionem hactenus estis
expertis. Audite Deum per Aggeum Prophe-
tam c. I. vos alloquentem. « Ponite corda
vestra super vias vestras. Seminastis multum
et intulistis parum: comedistis, et non estis
satiati; bibistis, et non estis inebriati; ope-
rustis vos, et non estis calefacti; et qui
mercedem congregavit, misit eam in sacculum
pertusum. Quam ob causam dicit Dominus
exercituum: Quia domus mea deserta est, et
vos festinastis unusquisque in domum suam;
propter hoc super vos prohibiti sunt caeli,
ne darent rorem, et terra prohibita est, ne
daret germen suum. » Deinceps ergo, mei
Auditores, festinate lente, nam, ut Salo-
mon ait Prov. xiii. *Substantia festinata mi-
nuetur, quae autem paulatim colligitur pro-
ficiat.* Itaque ergo diligenter suo tempore ad
templum. Nam juxta commune Prov. *Kir-
chen gehen versammet nich.* Commendate dil-
igenter vestros labores Deo, invocate illius
auxilium, dicite cum Ecclesia: « Actiones
nostras, quaesumus Domine, aspirando pra-
veni et adjuvando prosequere, ut cuncta
nostra oratio et operatio a te semper incipiat,
et per te caepa finiatur per Christum Domi-
num nostrum. »

Pars tertia.

In nomine Domini idem significat, ac *prop-
ter Dominum*, atque adeo per hoc indicatur
tertium caput, quod ante laborem observan-

dum est, ut scilicet consilium S. Pauli Cor. I. c. x. datum observetur: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Ita Anachoreta ille docuit, qui quoties opus aliquod aspiciatur, subsistere solebat, causamque hujus rei rogatus dixit, actiones nostras nullius esse momenti, nisi ad eas recta intentio accedat; quare quemadmodum, qui jaculatur, tantisper hæret, dum in scopum arcum dirigit, quo certius collimet; ita se quoque subsistere, donec opus, quod præ manibus est, ad bonum finem sit directum, Deoque consecratum. Et hic sane non levis iterum negligentia in multis reperitur, quæ tanto magis culpanda est, quanto accuratius similis industria, qualis hic requiritur, in rebus levioris momenti adhibetur. Quis enim semen in terram projecturus, non optimum, et quod centuplum fructum daret, eligeret, si in ipsius potestate foret hæc electio? Quis artifex suum laborem non libentius venderet illi, qui pretium centuplo majus, quam alii offerret? Cum ergo Deus sit illa terra frugifera, quæ centuplum fructum promittit; sit Dominus ille, qui infinitas majus præmium, quam omnes offert, annon summa socordia, imo et stultitia erit, si eidem per bonam intentionem nostrum laborem committere et consecrare negligamus? O utinam gravitas et momentum hujus actionis satis ab hominibus ponderetur! Profecto majorem deinceps in hac intentione operibus suis præfrenda diligentiam adhiberent. Ah dilecti, saltem vos deinceps hanc industriam diligentius observate, eumque in finem illud opificis epithim perpetuo in memoria habete.

« Steb still, o mensch, diss Grab sehan an, Es ligt darin ein Handwerks-Mann, Er hat gearbeit Tag, und nacht, Aber wenig darvon gebracht. Allein, was er hat Guts gethan, Ist ihm blieben für sein Lohn. Auch da dein Arbeit Gott verkauff, Er schlagt zum aller meisten drauff. »

Epilogus.

Atque hæc sunt, quæ ante laborem observanda censeo. Hæc facite, et non dimidiat tantum, sed totam actionem bene peragatis. Quotiescumque ergo deinceps, sive in sylvam, sive in agrum, sive in alium locum ad operandum exitis, semper prius cum S. Petro di-

cite: *In verbo et nomine tuo lazabo rete*, id est, inchoabo, et perficiam actionem istam. Sic felicem successum sperare poteritis, et meritorum copiam ingentem vobis, cumque parabitis, quousque denique omnino audiat illud Apoc. xiv. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; anodo dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum tam sancte inchoata et feliciter peracta sequuntur illos, æternumque præmium obtinebunt. Amen.*

Exemplar quartum.

In quo altera pars prioris materiæ explicatur.

Thema.

Bene omnia fecit. MARC. VII.

Scopus.

Ostendendum, quid in ipso labore observandum.

Syllogismus principalis.

Ut labor fructuosus sit, debet bene fieri; atqui, ut bene fiat requiritur, ut cum debita cautela, diligentia, et tranquillitate fiat; ergo hæc tria studiose observanda sunt.

EXORDIUM.

Multa quidem in Evangelio hinc inde præconia de Christo reperiuntur prolata, sed nescio, an ullum sit præstantius, quam quod in hodierno Evangelio a populo clamante, *Bene omnia fecit*, accepisse legitur. In hoc enim velut compendio omnis laus, quæ ex aliis encomiis oritur, comprehensa reperitur. Imo sine hoc encomia omnia alia nihili facienda sunt. Hinc communiter dici solet, Deum non verba, sed adverbia amare, id est, non tam attendere, quantum, sed ex quanto, et quam bene quis agat. Et quid mirum, si Deus id exigat, cum idem etiam nos facere soleamus. Offeratur nobis sane cibus quantumcumque pretiosus in se, et dulcis; si non bene coctus et paratus sit, parum æstimabitur: offeratur nobis ab opifice opus ex auro et argento, aliave simili materia con-

fectum, gemmisque et unionibus distinctum, si non bene sit factum, mercedem opifex non accipiet. Quia ergo et nos cupimus labores nostros Deo placere, ab eoque præmium suo tempore propter illos expectamus, non tantum contenti esse debemus, ut illos bene inchoemus, sed etiam ut bene absolvamus, atque adeo in ipso etiam opere debitas condiciones observemus. Quod quidem qua ratione faciendum sit, in presenti concione ostendam, si benevolas, ut soletis, aures mihi præbueritis.

Pars prima.

Inter alias condiciones, quas Deus in Sacrificio sibi offerendo olim ab Israëlitis requisivit, illa non minima erat, quod agnus vel vitulus offerendus macula carere debuisset; ita enim passim in veteri Testamento præcipitur legitur, speciatim autem DEUT. xv. ubi sic loquitur Moyses in nomine Dei: *Sin autem habuerit maculam, et vel claudum fuerit, vel cæcum, vel debile, non immolabis Domino Deo tuo*: ubi posset non immerito quis mirari, cur Deus hanc conditionem tam sollicitè requisierit? Annon enim agnus aliquis vel vitulus, si bene saginatus et pinguis fuisset aequè aptus fuisset ad Sacrificium, etiamsi levem aliquam maculam habuisset aut cauda caruisset? Fuisset sane, sed nihilominus voluit Deus Sacrificium sine macula offerri, ut per hoc nos instrueret, quomodo, si labores et opera nostra velut Sacrificia illi offerre velimus, illa constituta esse debeant, quod scilicet non modo non debeant esse caeca, id est, sine prævia intentione bona facta, nec sine cauda (id est, in fine et perseverantia deficientia) sed etiam non maculosa, id est, in ipsa sua substantia omni defectu et vitio carere. Prima ergo industria in ipso opere adhibenda est, ut studiose caveamus defectus, qui plerumque in laboribus nostris intervenire solent. Quinam autem in laboribus rusticorum, imo et aliorum intervenire solent, necessarium non puto pluribus explicare; constat enim passim imprecationes et blasphemias audiri. Constat ubique videri iracundiæ vestigia. Constat frequentes etiam justitias in fraudandis decimis, terminisque aliorum invadendis committi. Hæc ergo omnia tanto studiosius cavenda sunt, quanto vehementius impediunt fructum laborum nostrorum. Certe non immerito peccata ejusmodi grandini comparari possunt;

ut enim grando ab ipsa terra exurgit, cum nihil aliud sit, quam vapor a terra exurgens, et in aere ob frigus circumstans in lapidem concretus, iterum in terram cadit, ejusque fructus devastat; ita peccata nostra sursum ascendunt, et gravitate sua iterum depressa cadunt supra labores, eorumque fructum impediunt. Neque mihi hic quispiam dicat, non esse possibile, ut quis in tot tantisque occasionebus interdum blasphemet, aut famulus pecorum, et ejusmodi rebus non irascatur, si quod debent, non faciunt. Non, inquam, quis mihi hoc objiciat; nam in primis scio, non omnem iram illicitam esse: *Irascimini*, inquit S. David Ps. iv. *et nolite peccare*. Tunc autem bene irascimini, si indignationem verbis et verberibus moderatis ostendentes, per hæc nihil aliud nisi fraternaliter ac paternam correctionem proximi intenditis. Imprecari autem et blasphemare neuti quam ad justam iram pertinent, sed sunt effectus animi vindictam injustam spirantis, atque adeo possunt ac debent vitari, cum Deus abundantia auxilia gratiæ conferat ad ea, quæ præcipit adimplenda, præmiumque tam magnum promittat, si observemus, quod merito levem nobis omnium præceptorum observationem efficere debet; uti quondam Sacerdos quidam militum curam gerens memorabili factu ostendit, cum enim adverseretur, militem quemdam, gravem imprecandi et blasphemandi consuetudinem contraxisse, atque ad emendationem hortatus, impossibilitatem ab eo sibi objiceret, recentem duatum ei ostendit, illumque se datum promisit, si secum per exercitum transiens, ab omni ira, blasphemiam, imprecatione, aliove simili vitio abstineret. Cumque id certo se præstiturum miles promississet, Sacerdos interea monet militem, ut, si cras miles iste per eos transiturus esset, ipsum insigniter, sed absque peccato vexarent. Appetente ergo postera loco Sacerdos duobus digitis nummum aureum in altum extollens, atque ante oculos militis portans eundem per exercitum in duas partes divisum ducit, a quo, licet miles egregie vexatus sit, ille tamen semper sabridens, digitoque nummum aureum ostendens, quasi diceret, hæc omnia se propter illum nihil curare, nec unum verbum minus decorum protulit. Quare Sacerdos aureum quidem promissum obtulit, sed simul etiam adhortatus est, ut consideraret, annon propter regnum cælorum promissum possibile sit præ-

tare id, quod, propter unicum nummum aureum tam facile prastitisset. Simili modo ergo, et vos, dilecti Auditores, pio astu vel argumentatione, ad vitiorum, quorum fugam hactenus impossibilem credebatis, odium excitare, et, ne ad morem vaccarum vestrarum expressum ex uberibus lac pede effundentium fructum, quem laborando factis, peccando iterum destruat, ab omnibus quidem vitis, praecipue tamen a fraudibus et iniustitiis studiosè abstinet, certoque vobis persuadete, non modo lucrum vos nullum per iniuste inquisitas hujusmodi pecunias, sed damnum potius insuper gravissimum reportaturus. Nam juxta commune proverbium: *Male porta male dilabuntur. Ungerechtes Guth bereicht nicht.* Quod quidem lepida haec fabula ostendere aliqui conantur, dum aiunt, rusticum fuisse, qui multas valde oves habuit, sed bene per diem a Pastore custoditas, et per noctem in stabulo inclusas, ita ut lupus undique aditum sibi ocellum adverteret. Quare ad ingenium confugiens lupus, ovinam sibi pellem circumdedit, et extra praedium quasi ovis errans, gramen raptum se decerpere simulavit. Quod rusticus advertens etsi bene sciverit, ovem hanc suam non esse, tamen injusti lucri desiderio incensus, eam suis conjunxit, sed brevi damnum sensit; nam mane unam alteramve ovem laceratam invenit, nec tamen, quia stabulum bene ocellum repperat, causam indagare potuit; sequenti die tres iterum prope absumptas invenit, et sic deceps, donec omnes pene oves absumptae fuerant, tunc enim maleus ipse eas absumere, quam ab alio absumptas aspicere, cum reliquis oves, et inter has etiam alienam ovem furto ablatam occidere vellet; latentem sub ovina pelle lupum, fraudemque deprehendit. Ecce pulchram sane injusti lucri descriptionem! O quam multi sunt, qui valde multum se lucratos putant, si aliquot manipulos ex decimis, partemque de agro alieno subtraxerint, vel aliud injustum lucrum fecerint. Sed nolite, o boni, exultare ante tempus: fixum est: *Ungerechtes Guth, thut Kein gut.* Brevi sentietis lupum, id est, injustum nummum, etiam alios juste acquisitos devorantem. Vos ergo, mei AA. potius consilium Christi MATTH. VI. datum sequimini, et ante omnia: quaerite, regnum Dei, et justitiam ejus, et ea, quae sperabitur per injustum lucrum, melius per justitiam acquiretis. Nam *Si qua justitiam diligit, labores hujus, magnas ha-*

bet virtutes, Salomone teste SAP. VIII. *Et melius est parum cum justitia, quam multi fractus cum iniquitate.* PROV. XVI.

Pars secunda.

Secundum caput, quod in ipso labore observandum est, requirit, ut, quantum est ex nostra parte, debitam diligentiam etiam adhibeamus, nam est Deus, ut diximus, incrementum dare solet, tamen etiam nostram cooperationem requirit. Ita S. Paulus clare I. COR. XV. docuit, dum dixit: *Gratia Deorum id, quod sum, et gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Hinc etiam sponsa CANTIC. I. petit quidem trahi a Deo, dum ait: *Trahite me:* sed mox propriam cooperationem indicat, dum ait: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Imo ipse Christus id ipsum confirmavit; dum MATTH. VI. omnia quidem necessaria liberaliter se daturum promisit, sed tamen etiam nostram cooperationem requisivit, et regnum colorum ac justitiam illius quaerere jussit et haec videlicet non levis est causa, cur tam multi hodie optatam in laboribus benedictionem non sortiantur. Quid enim mirum, quod Deus non juvat illum, qui se ipsum non juvat? *Hiff dir, so hilff dir Gott auch,* dicunt Germani; et jam olim Jeremias pronuntiavit c. XLVIII. *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter.* Quid mirum ergo si tales postea Deus non fortunet? Quare quicumque talis es, audi salubre consilium, quod sincerus amicus olim alteri amico et vicino suggestit. Erat hic vir bonus rerum suarum prorsus incurius, neque quid in domo ageretur, admodum curabat, modo cuticulae propriae bene esset: quare factum, ut omnia in pejus ruarent, et, licet non parum opulentus fuisset, prope ad incitas redigeretur. Quod ubi vicinus advertit commiseratione tactus adiit hominem, et postquam periculum extremæ inopiae incurrendae explicasset, remedium se, si placeret, oblaturum sponte dedit. Quo si constanter per aliquot hebdomadas uteretur, non dubitare, quin omnia ad meliorem statum redigenda forent, promittit se pariturum homo si difficile non foret, medium. Quare pyxidem promittit vicinum, eamque homini in manus tradens, hanc, inquit, in omnes quotidie partes

domus tuae deporta, ita tamen, ut caveas eam reserare, donec a me ejus reseranda licentiam acceperis. Dixit, et abiit. Nec diu alter consilium datum differens, dum singulas partes domus quotidie lustrat, omnia a famulis negligenter administrari advertit. Quare remedium ubique mora admovent, brevi notavit, rem domesticam non modice augeri. Sed quia causam, non suae industriae, sed rei in pyxide latenti adscribendam putabat, curiositate victus aperuit tandem pyxidem in eaque schedam repperit, in qua sequentes duo versus descripti erant.

Wilst, dass dir dein Sach wohl geling?
Sib all Tag steissig zu dein Ding.

Ex quibus facile salubrem correctionem colligens, remedio illo ac diligentia sine pyxide usus, brevi tempore priores iterum divitias recuperavit. O vere salubre consilium, et exemplum! Utinam illud, quotquot in laboribus suis suscipiendis hactenus scordes existerunt, pari fidelitate arriperent, profecto similem etiam effectum et benedictionem a Deo obtinerent. Quis ergo deinceps memorabilem illam sententiam alte mentis inscribat, et sedulo observare studeat: *In omnibus operibus tuis precellens esto,* et haud dubie etiam praecellentem fructum ex laboribus vestris reportabit. Ita sane expertus est Fortius Csesius Romanus rusticus, qui sua industria ac labore tantas divitias compararat, ut de magia suspectus habitus, et apud magistratum accusatus fuerit. Quare citatus et rationem reddere jussus, divitiarum congregatarum cum filia sua se coram magistratu sistens omnia sua instrumenta rustica secum tulit et haec tandem magica instrumenta dixit, quibus et ipse et filia indefessa constantia usi fuissent, et tantas divitias comparassent. Quo audito non solum absolutus est a magistratu, sed ob constantem adeo diligentiam vehementer commendatus.

Pars tertia.

Tertium denique caput est, ut, ubi ex nostra parte fecimus, quod debebamus, de successu parum solliciti, quidquid Deus postea circa laborem nostrum disposerit, aequo et resignato animo accipiamus, atque adeo in omnibus et ubique illud S. Davidis PSAL. XXXVIII. usurpemus: *Obmutui et non*

aperui os meum, quoniam tu fecisti. Ita sane Deus ipse quondam Sanctam aliquam virginem Diaticam nomine, monuit, dum eam de nimia frigiditate aperite parum conquerentem his verbis castigavit: Ego feci hoc frigus, et tu quaeris? Simili ergo modo quisvis Deum se alloquentem imaginetur, quando animum intus ob tempestatem non bonam, ob grandines et pluvias fructum laborum suorum impediens obmurmurantem audit: ego hanc tempestatem, grandinem, et pluvias misi, et tu quaeris? An putas aliquid sine mea dispositione fieri? An forte dubitas, num omnia sapienter satis administrarem? Pulchre hanc praxim nos, pius Aeseta docuit I. III. c. VII. cum in persona Christi sic loquitur: « Fili, sine me tecum agere; quod volo, ego scio, quod expedit tibi. Tu cogitas ut homo, tu sentis, et in multis, sicut humanus suadet affectus. » Quare statim subdit, quomodo respondere debeamus: « Domine verum est, quod dicis, major est sollicitudo tua pro me, quam omnis cura, quam ego gerere possum pro me. Nimis enim casualiter stat, qui non proficit omnem sollicitudinem suam in te: dummodo voluntas recta et firma ad te permaneat. Fac de me, quidquid tibi placuerit, non enim potest esse, nisi bonum, quidquid de me feceris. » O si tali modo omnia Deo committeremus, quam felicem in laboribus nostris successum sperare possemus. Memorabile haec in re exemplum in vitis Patrum narratur de Agricola quodam, cuius agri et vineae multo copiosiores semper fructum tulerunt, quam aliorum. Rogatus ergo ab iis, quomodo hoc fieret, respondit: Ne miremini, tempus enim per totius anni circulum juxta votum meum habeo. Cum autem vicini hoc responsum magis mirarentur, dicerentque, qui fieri posset, ut ipse semper tempus ad votum haberet? An forte ipse sud coelo distinctum degeret? Annon meminisset, quoties in anno grandis ceciderit, pluviae importuna obtigerit? Quoties caliore solis nimio sint agri exusti? Quibus ille iterum, omnino inquit, ita factum fuit, ut dixi: « Quia ego nunquam aliud tempus volui, quam quale voluit Deus, et quia ego hoc volui, voluit et Deus, ut copiosiores mihi fruges, quam vobis provenirent qui vestram voluntatem ad Dei voluntatem non accommodastis. » O vere sapientissimum non agricolae, sed sanctissimi hominis responsum, dignum, quod omnes rustici profundissime pectori

inscribant! O saluberrimum exemplum quod omnes agricolae studiosissime imitentur.

Epilogus.

Sed finio tandem atque iterum, quantum possum, adhortor, ut, si vestros labores utiles vobis et aliis esse velitis praedicta tria capita studiosissime observetis. Eum in finem, ut nunquam animo elebatur, assidue in mente ac animo habetote duos illos Germanici Poetae versiculos.

Wilst wahren Seegen von Gott erhalten?
Meins gut; thue was kamst, lass Gott walten.

Sic tandem implebitur quod Deus per S. Davidem Psal. cxxvii. promisit: « Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es et bene tibi erit: uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae; filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, » atque in illo unice confidit, quam benedictionem nobis omnibus concedere dignetur SS. et indivisa Trinitas, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Exemplar quintum.

In quo tertia pars materiae explicatur.

Thema.

Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo. Luc. xvii.

Scopus.

Ostendendum, quid post laborem observandum sit.

Syllogismus principalis.

Finis coronat opus, juxta commune proverbium; ergo, qui coronari ac premiari opus ac labores suos cupit, bene illos finire debet; atqui hoc omnes Auditores cupiunt: ergo omnes studere debent, ut bene finiant suos labores.

EXORDIUM.

Vidimus in alia concione, quod Deus in holocaustis, quae sibi offerri voluit, non tantum requisiverit, ut in eo non esset macula et caecitas, sed etiam, ut pede, quae ultima pars animalis est, non claudicaret; quo mandato sapienter indicavit, non tantum se in operibus nostris desiderare, ut initium eorum et medium, sed etiam ut finis se recte habeat. Quam ob causam etiam in iisdem animalibus peliit, ut adeps et cauda separatim offerrentur. Lev. iii. ut indicaret, quantumque opus per se laboriosum et pingue propter bonitatem fuerit, nisi cauda perseverantiae et bonae clausulae accesserit, gratum non fore; nam, ut recte Eusebius hom. v. ad Monach. ait: « Spes omnes nostrae in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si sata viridantia herbis spem messis ostendant, et me sub ipso faleis tempore, subita vel aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant? » Hinc recte S. Bern. ser. ii. in vigili. SS. Petri et Pauli ait: « Scias Diabolum soli perseverantiae invidere, quam solam novam novit a Domino coronari. » Quanto magis ergo Diabolum impedire nos conatur, ne bene nostros labores finiamus, tanto majorem nos adhibere diligentiam debemus, ut omnia, quae ad bonam clausulam requiruntur, studiose adhibeamus; quod quidem qua ratione fieri possit, in presenti concione docebo. Favete, et doctrinas has non minus necessarias, quam utiles attentis auribus, animisque excipite.

Pars prima.

Tria equidem etiam post labores nostros peractos pro felici coronide observanda puto. Primum est, ut gratiae debitae Deo persolvantur; cuius quidem capitis defectu frequenter fit, ut labores nostri minus fructuosus sint; id quod S. Bern. more suo sapienter advertit, dum ait, ingratitudem esse beneficiorum perditionem, ventum urentem, et siccantem fontem pietatis; nec aliquid in Christianis adeo displicere Deo, quemadmodum ingratitudem. Quod ipsum jam pridem Salomon Sap. xvi. indicaverat, dum dixit: « Ingrati spes tamquam glacies hybernalis labescet, et disperiet tanquam aqua supervacua. » Notate hoc bene, quotquot

Pars secunda.

hactenus exiguum in laboribus vestris benedictionem fuistis experti, notate, inquam, et examine vos ipsos, an hactenus debita Deo pro acceptis beneficiis gratias egeritis; id si non fecisse vos reperietis, ne dubitate, quin haec una ex potioribus causis sit negata benedictionis, nam, ut prudenter S. Bern. ser. xxxv. super Cantic. ait: « Cessat gratiarum discursus, ubi recursus non fuerit; nec modo nihil augetur ingrato, sed, quod accepit, vertitur ei in perniciem, » quia, ut S. Chrysost. super Matthaeum ait: « Quanto majora sunt hominibus beneficia constituta, tanto graviora peccantibus iudicio preparata sunt. » Si enim vos, ubi advertitis, mendicum aliquem non gratias agere pro modica elemosyna, quam offertis, mox indignamini graviter, et statuitis, nihil amplius deinceps illi offerre, an mirum vobis videri debet, si Deus, postquam pro tot tantisque beneficiis a se vobis collatis ingratos advertit, similes favores deinceps vobis negare decernat? Ne ergo fontem divinae liberalitatis obstructis: « Estote, ut monet Th. Kemp. l. ii. c. x. grati pro minimo, et eritis digni majora accipere; » nam, ut recte Cassiod. in Psal. cxxxv. ait: « Jugiter sibi subveniri facit, cui collatum beneficium ob oculos semper assistit, » et, ut alius ait: « Invitat ad magna, qui gratanter accipit modica. » Quapropter imprimis tres pueros Babylonios imitamine, et cum iisdem omnes creaturas, quae aliquo modo ad vestrum laborem cooperatae sunt, ad laudes Deo dicendas invitate, et dicite: « Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula; benedicite aquae, Spiritus, imber, pecora, filii hominum Domino, etc. » praeter reliquias tamen optimam gratiarum actionem existimate, si inde occasionem sumatis, liberaliores vos vicissim erga ipsum deinceps ostendendi; et mandata illius diligentius observandi; si enim S. Porphyrius, cum ad negandum Deum verum, falsosque adorandos incitaretur a Tyranno, dixit: « Quadraginta annis servio Deo meo, et nihil unquam mihi mali fecit, cur igitur eum nunc deseram? » Quanto magis vos, quibus insuper tantum boni praestitit, servire et adherere ei debebitis? Dicite ergo cum S. Davide Psal. cxv. « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi, in medio tui Jerusalem. O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae. »

Secundum caput, quod observare debetis post labores, est, ut partem aliquam de fructibus acquisitis Deo, sive in templo, sive in pauperibus offeratis. Ita enim vos ipsimet agri vestri exemplo suo docent, ut qui pro uno grano, quod in eos conjecistis, decem aut plura vobis offerunt. Hinc bene Seneca in Epist. ait: « Imitari agros fertiles, oportet, qui multo plus reddunt, quam acciperunt: quia si non dubitamus his conferre, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos, qui jam actu profuerunt. » Cogitate ergo vobis dici a Deo quod olim Josephus Patriarcha Gen. xlviii. Aegyptiis dixit: *Accipite semina, et serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis et liberis vestris.* Date ergo fideliter Deo suam partem, nec timeat, quod quidquam vobis sit inde defecturum, sed plurimum potius accessurum sperate. Zelator honoris sui Deus est, nec patietur se ab Homine in liberalitate vinci. Hinc Salomon Prov. iii. monet: *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum, et abundabunt horrea tua frumento, et vino torcularia redundabunt.* Male ergo sibi consulunt, qui adeo parci erga Deum sunt etiam cum tam liberalem erga se experiuntur. Vere enim in talibus implebitur, quod olim Abbas monasterii ejusdam expertus est, ut in magno speculo exempli dist. VI. ex xliii. refertur, quibus antecessorem valde liberalem, sub quo monasterium omnibus bonis abundabat, habuisset, ipse eadem successor electus contrahere manus cepit, sed nihil aliud effecit, quam ut paulatim omnes divitiae evanescerent, et ad magnam inopiam monasterium redigeretur. Accidit autem, ut quondam senex quidam eremicola ad monasterium hoc diverteret, qui cum parce admodum tractatus fuisset, fraterque ei inserviens monasterii inopiam pretenderet: in hunc modum ipsum allocutus est. « Noris, mi frater, apud priorem Abbatem duos fratres, quorum primus *Date* et alter *Dabitur* vocabatur, in monasterio vestro fuisse, et ab iis tantam benedictionem profluxisse. Quia vero modernus verter Abbas primum fratrem *Date* et monasterio expulit, statim etiam alter frater, *Dabitur* aufugit. Reducite ergo fratrem

priorem, et statim etiam posterior redibit: date et dabitur. Quia mensura mensi fueritis, cadem remetietur vobis. Luc. vi. » Hoc concilium et vos, Auditores, datum vobis putate, atque adeo seminate deinceps in benedictionibus, ut in benedictionibus etiam metatis. Date liberaliter, quia abundanter dabitur, « nam mensuram bonam, confertam, et coagilatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. »

Paras tertia.

Tertium tandem caput est, ut, dum temporalem laborum vestrorum fructum colligitis, etiam spirituales colligere studeatis, qui quidem varius esse potest. Et 1^o quidem si parcus, quam optabatis, agri vestri semen reddiderint, aut alii fructus labori et spei non responderint, sic vobiscum discurrat. Ah si tantopere dolet mihi, dum agri isti materiales fructum speratum negant, et quidem temporalem dumtaxat et tam modici pretii; quantum dolorem aliquando concepturus sum, si agrum spirituales animæ meæ optatus fructus, et quidem tales, de quibus æternum vivere debuissim, non protulisse advertero, nec tamen tempus habeo damnus reparandi. Itaque preveniam periculum hujus doloris, operabor dum dies est, antequam veniat nox, in qua nemo potest operari amplius. Pari modo si fruges vobis copiosas obvenisse gaudetis, et hic vosmetipsos excitare, ad merita abundantiora animæ procuranda; si enim, dum de corporali cibo vobis familiarique bene provisum videtis, tantam letitiam concipitis, quantum gaudebitis olim, si de cibo illo, qui non perit, sed permanet in vitam æternam, quemque filius hominis daturus est, Christo teste, JOAN. VI. vobis per totam æternitatem optime prospectum advertetis? Cur ergo non copiose scriitis semen honorum operum, ex quo solo prædictus cibus olim habebitur, nam opera eorum sequuntur eos, ut S. Joannes AROC. XIV. per vocem celo delapsam audivit. Denique si desiderium copiosos fructus habendi vos incesse adverteritis similem apud vos discursum facite. Ah si tantopere sollicitus sum, ut meliores semper fruges pro corpore et pecoribus habeam: si nullam industriam omitto, quæ potest ad dictum finem conducere, cum tamen adhibitis etiam omnibus industriis optatus fructus non semper respondeat; quantum conari debeo, ut fruges animæ, id

est, merita et virtutes copiosius producantur, cum hoc in mea sit potestate, et fructus optatus, si velim, semper labori respondeat. Age ergo, et *Quodcumque potest facere manus tua, juxta consilium Ecclesiasticus c. ix. instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Hoc modo utiliter laborabitis: hoc modo gloriosus finis opera ac labores vestros coronabit.

Epilogus.

Ut ergo tandem in compendium recolligam, quæ de labore fructuose suscipiendo tam in hac, quam prioribus concionibus dixi, vidistis, quanta commodata ex laboribus vestris rite susceptis sperare possitis. Vidistis etiam, quid ad laborem rite suscipiendum requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, cum gratia Dei habituali et actuali propter Deum inchoetur. Ut in nomine Domini, id est, cum magna cautela, diligentia et animi in divinam voluntatem resignatione perficiatur: et ut denique in nomine Domini, id est, cum debita gratiarum actione, liberalitate mutua, et salutari ad seipsam reflexione finiatur. Hæc facile, et vivetis, id est, in hac vita copiosam benedictionem in temporalibus bonis, et in altera majorem gloriam obtinebitis, dicetisque cum Ecclesiastico c. LVII. *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et invenii mihi multum requiem.*

CAPUT VIII.

De praxi conciones pro felici auspicio sive concionem, sive novi anni habendo.

Cum plerumque, quando Concionator vel officium suum auspiciaturus est, vel etiam pro novi anni principio concionaturus, paulo compitior oratio, rarioque doctrina ab Auditoribus speretur, ideo ne in hac quoque occasione ideam, copianque conceptum desse queratur novitius Concionator, eosdem hæc capite breviter subjuciemus.

Exempla.

Quomodo pro felici concionum auspicio instituenda sit concio.

Thema.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua. Eccl. VII.

Scopus.

Instruendi Auditores, quomodo per assiduum dictæ sententiæ memoriæ se ad vitam pie ac prudenter instituendam excitare possint.

Syllogismus principalis.

Tria sunt præcipua officia boni Christiani, nempe abstinere, sustinere, et agere; atque ad hæc tria recte implenda, vel maxime juvat citatæ sententiæ assidua memoriæ; ergo merito assidua illius memoriæ procuranda est.

EXORDIUM.

Antiqua et laudabilis hæctenus fuit consuetudo, ut illi, qui novum aliquod Officiam auspiciaturi erant pro felici auspicio iis, cum quibus acturi aut conversaturi erant, vel aditales epulas (*ein Einstand Mahl*) instruerent, vel certe munusculum aliquod offerant ad benevolentiam conciliandam. Hunc morem et ego hodie observare decrevi, et quidem, ut spero, tanto majori meorum Auditorum gratia, solatioque, quanto aptior, efficaciorque crit doctrina, quam illis pro solempi auspicio offerre decrevi, ad totam vitam suam feliciter sanctæque, ut verum Christianum deceat, instituendam. Ne itaque diutius vestra desideria suspendam, jam nunc me ad opus accingo, firmiter sperans vos tam hæc, quam omnes reliquas doctrinas, quas deinceps vobis propositurus sum, tanto majori cum benevolentia attentioneque excepturos, quanto clariusprehenderitis, me tam in concionibus, quam aliis meis functionibus pastoralibus nil nisi majorem Dei gloriam, animarumque vestrarum salutem querere ac desiderare.

Narratio.

Thomas Cantipratanus l. II. c. XL. part. 2.

et ex ipso Joannes Major in Imagno seculo exemplorum titulo sapientia, memorabilem narrat historiam in hæc verba: Quidam nobilis Adolescens valde sagax ingenio, Regi successit in regno. Accidit, ut in regia civitate nudinis constitutis, Rex cum sodalibus suis ad inspiciendos instiores et res venales circumiret. Et videns hominem grandævum ætate sedentem in nudinis, coarctat, quis sit, et quid venale haberet? Cui ille: « Dicor, inquit, Philosophus, sapientiam venalem habeo. » Ad hoc gavisus Rex, et subridens: « Bene, inquit, ut juvenem constitutum in regimine mihi competit sapientiam habere: tu autem videas, quantum velis vendere, centum maris? » Et Senex: « Unum, inquit, tibi pro statuto pretio dicam, quod si bene teneris, optime per illud regeris, et reges. Temere nihil loquaris, temere nihil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur. Si plus volueris, addas et pretium. » Ad hoc igitur omnibus concitatis in risum, Rex considerantius verbi pondus advertit, et Philosopho statim pretium promissum solvi imperavit. Verbum autem, quod acceperat, in superfluminaribus palatii, et in mensis, et in scyphis aureis, et manutergis scribi fecit. Successu temporis Rex in sapientia et virtute proficiens instituit fortius animam, eripere populum humilem de manu potentium, qui a Nobilibus terræ graviter premebatur, et regnum suum in omni justitia gubernare. Pro quo Nobiles sui in seditionem versi, cum nequaquam manifeste propter favorem populi contra eum auderent aliquid attentare, occulte quemdam rasorem pretio conduxerunt, ut Regem in conclavi radendum novacula trucidaret. Ergo ubi Rex humectata barba se radendum exhibuit, dictus rasor in manutergio, quod erat circa collum Regis, scriptum legit: Temere nil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur. Et super proposito scelere parvifactus expalluit, et manum tremulam sine retraxit. Quo viso Rex causam exegit, nec sine causa eventum considerans, dissimulantem rasorem, quasi hoc sibi ex infirmitate contigisset, extendit ad penam, et rei veritatem tormentis extorsit. Sic Rex liberatus a morte vere didicit, quia melior est sapientia cunctis opibus, et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Hucusque Cantipratanus. Atque hæc est doctrina, quam ego quoque vobis hodie pro felici auspicio mearum concionum cum singulari benevolentia oblatam volo,

quam si bene memorie vestrae impresseritis, et observare stueritis, promitto certo, certissimo futurum, ut non vos ipsos tantum, sed alios etiam felicissime regatis. Ut vero ejusdem praxim tanto facilius cognoscatis; jam nunc breviter ostendam, in quibus praecipue occasionibus ejusdem memoriam refricare debeatis. Aio itaque in tribus maxime occasionibus eam ob oculos habendam, in iis nempe functionibus, quibus tota perfectio hominis Christiani continetur, et plerumque ab Ascetis, per has tres voces, *Abstinere, et sustinere, et Agere* exprimuntur.

Confirmatio.

Primo itaque aio ob oculos habendam, quoties occasio abstinendi est, seu, ut clarius dicam, quoties ad peccatum aliquod committendum a concupiscentia inordinata vos impelli advertitis. Tunc enim vel maxime oportet quemque sibi ipsi dicere: Temere nihil attentas, priusquam consideres, quid sequatur. Ita sane jam pridem Deus ipse per Siracidem c. vii suscit dicens: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Et vero sic est; qui enim amarus fructus et operationes peccati diligenter praemeditatur, nunquam sane in peccatum consentiet, sed potius dicit cum Philosopho illo: Tanti poenitere non eno. Ad hoc magis confirmandum peropportune mihi in memoriam venit, quod aliquando Regina quaequam, Fenella nomine, consilium suscepit. Hac quippe, cum fatale adversus maritum suum Kemetum, odium concepisset, tandem sequenti modo eum e medio tollere statuit. Pon. um apparari jussit aspectu amoenissimum, sed sagittis referatum, et arte singulari ita confectum, ut, si in certo loco tangeretur, omnes sagittae uno impetu in tangentem erumperent. Hoc ergo cum quondam summa cum humanitate, et, uti ipsa simulabat, in singulari amoris argumentum Kemet obtulisset, ipse incautus avidisque manibus id arripiens, subito ab erumpentibus telis miserrime peremptus est. Hic jam vos interrogo, Auditores, si Kemetus iste pravisisset, quod sagittae sub pomo isto laterent, an eundem illud arripiturum fuisse putatis? Minime profecto. Atque simile pomum est voluptas illicita, quae vobis a mundo, carne, aut Diabolo offertur. Apparet sane et illud speciosum et amabile,

beatosque se putant illi, quibus illud offertur; sed si interiora ipsius, exitumque consideraveris, acutissimis, atque aeternum interitum afferentibus sagittis est plenum. Annon acutissima sagitta est offensa summi ac supremi Domini? Annon acutissima sagitta est jactura inestimabilis gratiae divinae et vitae aeternae? Annon sagitta summe venenata est aeterna illa et inexplicabilis poena corporis et animae, quae per peccatum incurritur? Annon terribilis et horrenda sagitta est stimulus et vernis conscientiae, quo anima in hac et altera vita misere transfigitur, et lancinatur? Atqui haec omnes et plures aliae crudeles sagittae ex poni hujus, seu voluptatis illicite tactu incauto erumpunt, uti jam pridem damno suo expertus, et postea miserabiliter lamentatus est Psalmista Ps. xxxvii. dum dixit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, quoniam sagittae tuae infirae sunt mihi.* Clarum hujus rei exemplum etiam in primis nostris parentibus habemus; quibus utique amoenum ejusmodi suaveque pomum a tartareo serpente oblatum est, sed quem attactus illius exitum habuerit, hoc, proh dolor, testantur innumeræ sagittae, et damna, quae non tantum in ipsos primos parentes, sed omnes etiam eorum posteros eruperunt. Quare alieno saltem, o dilecti, damno sapiamus, et cautiores efficiamur, et, quoties ejusmodi pomum illicite voluptatis a mundo, aut carne, aut Diabolo offertur, eidem illa Christi ad S. Mariam Magdalenam dicta verba inscripta credamus: *Noli me tangere, prius, quam praemeditatus fueris, quem exitum sit hic tactus habiturus.* Et sic certo futurum confido, ut in nullum unquam peccatum consentiatis.

Altera occasio in sustinendo, seu tolerandis adversitatibus se offert; ubi vel maxime iterum occidere nobis debemus: Temere nihil attentas, priusquam consideres, quid sequatur; nam quae alia causa est, cur in adversis casibus tam pusillanimes et impatientes simus, nisi quia non perpendimus, quem exitum tribulationes tali modo perpesse sint habiturae? Hic itaque memores esse deberemus, quod Germani nostri communi proverbio suo nos monerunt: *Wag, ebe du wagst: bsinn, ebe du sagst: damit du nicht Reu traagst.* Hic ex una parte ponderare deberemus, quem exitum impatientia nostra sit habitura, et nos ipsos sic alloqui: quid, queso, reporto, si tribulationem talem

indignabundo et impatienti animo supportavero, quid aliud reporto, quam quod gravior mihi accidat haec tribulatio, utpote animo repugnantem acceptata? Et gravissimam mihi in hac et altera vita poenam accersam? Ut jacturam faciam inestimabilis meriti ac gloriae, quam per patientiam comparare potuissem? E contrario vero, quam magnum multiplicemque fructum refero, si aequo et hilari animo eandem supportem? Annon levior mihi, tum per equanimitatem et resignationem, tum per spem inestimabilis praemii tribulatio evadet? Annon per patientiam talem poena gravissima, quam tum in hac vita, tum in altera sustinere debuissim majori ex parte, si non tota remittitur, sicque hic uno quasi obolo solvo, quod ibi innumeris talentis solvere debuissim? Annon inestimabile illud premium promereor, de quo S. Paulus II. Cor. iv. locutus est dicens: *Id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis?* Annon ergo merito illa Discipulorum Christi verba impropere, dicoque: *Ut quid perditio ista?* Poterat enim unguentum hoc (aut haec tribulatio) venundari multo, et dari pauperibus, id est, animabus purgantibus aut pauperi animae meae transcribi? En ergo, dilecti, undeveniat, quod tribulationes tam amaro et invito animo suspiciamus, quia scilicet in iis ad presentem tantum difficultatem, non autem ad securum fructum et proximum oculos reflectimus. Alque ut hanc doctrinam, quae tantopere necessaria et salutaris est, melius percipiatis, aptissima similitudine a P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu Sacerdote olim similem in finem proposita declaro. Fingamus, dicebat ille, grandinem super agrum rusticum non admodum divitis cecidisse, omneque illi frumentum destruxisse; quid, queso, diciturum aut acturum putatis hunc rusticum, si nuntius illi talis adferretur? Annon summo cum dolore illum excepturum creditis? Annon magnopere suam infelicitatem deploraturum? Si vero paulo post alius superveniret, qui nuntiat, lapides, quibus frumentum destructum est, ex mero argento aut auro confectos, aut meras uniones esse, annon tunc summe iterum hoc nuntio recreandum existimatis? Annon felicem se predicaturum, quod per suum potius, quam alterius agrum grandio cecidisset? Annon singulares Deo pro hoc beneficio gratias acturum? Cur, queso, hanc

eandem jacturam tam levo et quieto animo excipit, quam prius tanto cum dolore et tristitia intellexerat? Nimium, quia jam non ad damnum, sed ad lucrum inde sibi exitum oculos mentemque reflectit: quia, quem exitum tribulationes sint habiturae, consideravit. Ita sane suas adversitates aspexit patientissimus Job, atque adeo tam alacri et resignato animo excipit. Simili ergo modo et nos deinceps nostras tribulationes consideremus, et notum illud effatum: *Momentaneum, quod cruciat; aeternum, quod delectat*: aut illud S. Pauli Rom. viii. *Non sunt condigne passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*: semper in animo habeamus, et haud dubie tribulationes nostras non equiori dumtaxat animo, sed etiam cum letitia supportabimus, dicemusque cum S. Paulo: *Repletus sum consolantiae, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* II. ad Cor. vii.

Tertia tandem occasio in actionibus nostris quotidianis se offert. Hic vobis ab initio imaginemini hominem, qui vix semel in die mentem ad Deum elevet, vix semel in hebdomada Missam, et quidem exigua cum devotione audiat, reliquum vero tempus, otio, lusu, convivio, somno, aliisque recreationibus consumat, an existimatis, hunc talem vitam acturum, si exitum illius animo suo accurate aliquando perpenderet? Minime profecto! Ita Rolandus nobilis adolescens exemplo suo docuit; qui, cum aliquando totam diem in summis deliciis exegisset, sicque epulis et vino gravatus in lectum abiisset, seipsum ibi sic allocutus fertur. « Dic, queso, Rolande, quid tibi ex universis deliciis, quibus hodie tam jucunde frui es, relictum est? Annon fateri debes cum Salomone Eccl. ii. Et vidi in his omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole? Quid autem habebis, si non unum diem, sed totam vitam simili modo transigas? Annon ergo praestat abstinere ab ejusmodi deliciis, quam caro perentia acerbae pretio easdem mercari? » Sic seipsum allocutus est Rolandus, tantumque profuit haec adhortatio, ut mox, ubi dies illuxit, mundo nuntium remittens, religiosum statum fuerit amplexus. En quid prosit, in actionibus etiam suis exitum considerare. Sed quia dicit fortasse aliquis: Haec nihil ad me, quia non in deliciis vivere soleo, sed totos dies in labore servitioque aliis praestando, aut pane pro me domesticisque

lucrando consumere cogor; imaginemur nobis et talem hominem, qui dicto modo integras hebdomadas, menses, et annos consumat, sed tamen hos labores solius necessitatis aut lucri temporalis causa, non autem propter Deum, ejusque gloriam suscipiat, quem putatis hujus hominis labores exitum habituros? Annon diciturum creditis cum Apostolis Luc. v. *Proceptor, per totam noctem (et vitam) laborantes nihil cepimus?* Eveniet nimirum talibus, quod quondam famulo cuidam evenisse scribitur, qui, cum multis annis summa cum fidelitate Domino suo servisset, et tandem in gravem morbum kapsus rogasset Dominum suum, ut vel una hora eum a morbo liberaret, Dominus autem respondisset, hoc in sua potestate non esse, cum magno ejulatu exclamavit: Heu me infelicem, quod tot annis servierim tui Domino, qui me nec per horam a morte aut morbo liberare potest, et non potius illi servitium fidele praestiterim, qui a temporali ac aeterna morte liberare, perpetuamque felicitatem largiri potest. Ne ergo simili modo vos quoque olim quaerimini, quod solum pro corpore vestro liberisque atendis tot labores susceperitis, et non potius Deo easdem per legitimam intentionem consecraveritis, vel nunc alieno damno eruditi operam date: ut non solum semper in gratia statu constituti sitis (sine quo opera vestra non possint Deo grata, vobisque meritoria esse) sed insuper eadem opera ac labores vestros Deo per legitimam intentionem consecratis, eumque in finem illud operari cuiusdam epitaphium in memoria semper retineatis:

Steh still, o Mensch, diss Grab schau an,
Es ligt darin ein Handwerks-Mann.
Er hat gearbeit Tag, und Nacht,
Aber wenig darvon gebracht.
Allein, was er hat guts gethan,
Ist ihm geblieben für sein Lohn.
Auch du dein Arbeit Gott verknuff,
Er schlägt zum aller meisten drauff.

Perpendite praeterea, quantopere officii aut alteri operario doleat, si postquam opus aliquod magno cum labore et difficultate absolvit, merces ei sperata negetur, frustra que adeo se laborasse advertat, et inde colligit, quantum olim dolorem et tristitiam vos concepturi essetis, si tota aut certe potiori parte vite vestrae vos frustra laborasse olim aspi-
ceretis.

Epilogus.

Et haec modo est doctrina, quam pro felici concionum mearum auspicio offerre vobis volui, certo promittens, quod, quo diligentius eam observaveritis, tanto melius et vos ipsos, et alios vobis commissos recturi sitis. Haec doctrina fundamentum est, cui tota vestra salus, felicitas, et profectus inniti debet. Haec doctrina breve compendium est omnium doctrinarum, quas deinceps vobis propositurus sum. Nam id unice in omnibus meis concionibus deinceps laborabo, et persuadere conabor, ut peccata, et quidquid Christianum non bene decet, studiose devitetis: et illa opera ac virtutes, quas Dominus Deus, et S. Mater Ecclesia a vobis requirunt, pari studio ac fervore exerceatis: et omnes denique adversitates ac tribulationes, sine quibus nemo potest introire in regnum Dei, magna cum patientia et Christiana fortitudine supportetis. De hac doctrina proin, quam, uti singulari benevolentia, zeloque vobis offero, ita simili affectu a vobis acceptatam iri confido, deinceps vobis illi pii Aescetae verba l. III. c. m. dicta putate: « Audi, fili mi, verba mea, verba suavissima, omnem Philosophorum et Sapientium hujus mundi scientiam excedentia. Verba mea Spiritus et vita sunt, nec humano sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda, et tum omni humilitate atque magno affectu suscipienda. Scribe itaque ea in corde tuo, et petra tracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis valde necessaria. Quod non intelligis, cum audis, cognosces in die visitationis, » cum nempe variis tribulationibus ad honorem nominis mei, et tuam salutem exerceri te permisero. Claudio itaque concionem verbis, quibus eam incepi. In omnibus operibus tuis memorare novissima, id est, exitum eorum, et in aeternum non peccabis, quin potius te et alios tam prudenter et feliciter reges, ut dignus efficiar aliquando aeternum, felicissimumque caelorum regnum cum omnibus Sanctis possidere, quod nobis omnibus per merita Christi Filii concedat Pater aeternus, cui cum eodem Filio et Spiritu Sancto sit omnis honor et gloria in secula saeculorum. Amen.

Alii conceptus.

I. Ex occasione thematis: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Luc. II. potest imprimis Concionator narrare historiam de servo Abrahami misso ad uxorem filio quaerendam, et ubi Rebeccam reperit, in aurem proferentem, atque in signum desponsationis donantem, Gen. XXI. Unde dicere potest, se quoque missum ad animas, Deo per amorem desponsandas, ac proinde in signum hujus desponsationis duas in aurem donaturum, dextram et sinistram, ut intelligant, se non tantum quando animantur, instruantur, et recreantur, paratos esse debere ad verbum Dei audiendum, sed etiam quando corripiuntur et castigantur, et idem has in aurem aureas esse; eo quod non minus castigatio, quam consolatio ex vera charitate, zeloque procedat. Ostendatur deinde, quomodo fructuose audire verbum Dei debeant, scilicet ardentem, attente, et devote, id est, cum prompta voluntate, propositoque efficaci exequendi id, quod auditum est. Denique pariter demonstratur, quomodo anima per verbum Dei rite auditum despondeatur Deo, dum scilicet ad amorem illius excitatur et per hunc Dei Sponsa efficitur, eique ardentissime conjungitur.

II. Ex occasione thematis: *Date illis vos manducare.* MATH. XIV. dicere potest Concionator, se at alios Concionatores esse quasi Patres familias (*Kost Herren*) a Deo constitutos, ut cibum animae nempe verbum Dei, eisdem praeparant, ac porrigant. Hinc 1^o ostendat, quantopere nutrit, satiet, roborat, impinguet, et recreet hic cibum animam, quae omnia facile possunt exemplis, tum auctoritatibus SS. Patrum probari. Deinde ostendatur, quod debeant ipsi assumere proprietates convictorum, et 1^o diligenter comparere apud mensam seu concionem. 2^o Praemittere orationem. 3^o Appetitum afferre. 4^o Non herbas dumtaxat et condimenta, sed ipsam etiam substantiam assumere. 5^o Bene concoquere, id est, ruminari, sibi que applicari, non alteri. 6^o Solvere suo tempore pretium debitum, id est, gratum se patrifamilias exhibere, tum pro eo precando, tum doctrinas ab eo datas sedulo exquendo.

III. Ex occasione thematis: *Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitalis suae in*

speculo, Jac. I. potest Auditoribus pro felici auspicio speculum offerre, ut significet, Auditores ad verbum Dei velut speculum accedere debere. Ostendatur itaque 1^o quam bene verbum Dei speculo comparetur, tum quia constat duabus partibus, *obscuritate* in se, velut plumbum; et claritate explicationis velut nitido crystallo; tum quia se omnibus accomodat ut speculum: tum quia et turpitudinem aequae, ac pulchritudinem suam cuius ostendit, quae omnia facile auctoritate Scripturae et SS. Patrum ac variis exemplis probari possunt. 2^o Ostendatur, quomodo fructum ex hoc speculo reportare debeant, nempe non tantum curiositatis gratia, aut ad aliorum faciem cognoscendam id usurpando, sed ad proprios mores vitamque ordinandam, et corrigendam adhibendo, quod itidem variis exemplis declarari potest.

IV. Ex occasione thematis: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut aequentur in libro stylo ferrae?* Job. XXX. potest Concionator pro felici auspicio Auditoribus palimpsestum, seu pugillar (*Ein Schreib-Passelein*) offerre, simulque ostendere quid, qua ratione, et cur in eo scribendum sit, quem in finem totum fere capiat. I. III. libelli de imitatione Christi serviet. Dicit 1^o Quil scribere debeant, et alloquatur illos iis cit. lib. verbis: « Scribe verba mea in corde tuo, et petra tracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis valde necessaria. Dupliciter soleo electos meos visitare, tentationes scilicet, et consolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego: unam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa. » 2^o Ostendat, quomodo ea scribere debeant, nempe eo modo, quo idem libellus indicat dicens: « Verba mea Spiritus et vita sunt, nec humano sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda, et cum omni humilitate atque magno affectu suscipienda. » 3^o Declaret, cur sint audienda, nempe ob *dignitatem* (per illa verba indicatam): « Audi Filii, verba mea, verba suavissima, omnem Philosophorum et Sapientium hujus mundi scientiam excedentia necessitatem indicatam (per illa verba: verba mea spiritus et vita sunt: insinuatam) *juventutem* (quia verba suavissima, de quibus Sponsus CANT. II. dixit: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Et S. David Ps. XVII. *Eloquia tua super mel et favum.*) » Unde pro clausula dicat huic palimpsesto in una facie

operculi inscripta esse ex citato libello hæc verba: *Beatus, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis, et non desoletur in terra.* In altera vero facie hæc esse scripta: *Qui habet verba mea, et spernit ea, habet qui iudicet eum in novissimo die.* Porro dicat, hunc palimpsestum duo habere dumtaxat folia propter duplicem lectionem, unum pro increpatione vitiorum, alterum pro exhortatione ad virtutem. Denique stylum ferreum, quoscribatur, esse serium propositum proficiendi et attentam, ac constantem auditionem concionis, quo bene scribenda sunt verba, ut legi possint (non oscitanter audiendo et dormiendo; tales enim vitiose, aut nihil omnino scribunt) nec delenda per madidam spongiam (id est, vanas delectationes) sed suo tempore inspicienda et relegenda, id est in memoriam revocanda.

V. Ex occasione thematis: *Qui habet sermone meum, loquatur sermone meum, et quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* JER. XXXIII. Potest Concionator pro felici auspicio cribrum offerre Auditoribus, dicereque quid, et quomodo cribrare debeant. 1º Ergo dicat eos Verbum Dei velut triticum cribrare debere; ostendatque, quam convenienter Verbum Dei tritico comparatur, imprimis quia ut triticum est optimum inter frumenta, ita Verbum Dei optimum inter verba, quia scilicet ab ipsa æterna Sapientia dictatum: deinde quia sicut triticum est purissimum et candidissimum, sic Verbum Dei quoque purissimum est, seu ab omni falsitate remotissimum: sicut item triticum est cibus nobiliorum personarum, ita Verbum Dei cibus electorum est juxta illud Christi effatum: *Qui habet verba mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* Quæ omnia breviter complexus est S. Basilus de vit. solit. sic loquens: « Omnis panis nutrimentum affert ad salutem, ægris autem sæpe inutilis: sic et omnis Scriptura ex Deo est, admodum fructuosa, nihilque per se immundum atque impurum retinet aut prebet, nisi ei, qui illud putaverit esse immundum. » 2º Ostendat quomodo hoc triticum cribrare debeant, scilicet a paleis separando, quod faciunt, si non ad verborum qualitatem, nec ad gestus, aut vitia vitæque Concionatoris, nec ad historias tantum aut fabulas, quæ subinde delectationis gratia inspurgantur, attendant, sed ad ipsam doctrinæ propositæ substantiam, eamque in granarium memoriæ et pectoris

recondant ad exemplum B. Virginis, quæ conservat omnia verba in corde suo.

VI. Ex occasione thematis: *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deprecies omnes adversarios populi mei Israel.* II. MACH. XV. potest Concionator dicere, cum milita sit vita hominis super terram, teste Joho, ideoque Christus ipse MATH. X. dixerit, se non venisse pacem mittere, sed gladium, sed optimum gladium Auditoribus oblatum, illum nempe, quem S. Paulus EPH. VI. suscit dicens: *Galeam salutis assume, et gladium Spiritus, quod est Verbum Dei.* Et iterum HEBR. IV. *Vicus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti.* Ostendatur ergo 1º quomodo gladius iste Sanctus sit, tum quia a Deo sanctitatis fonte ortum sumit; tum quia vere Sanctos facit. Quomodo item sit *munus a Deo*, cum omnidatum et datum optimum desursum descendat. Quomodo sit *inceps absterrendo a vitis*, et impellendo ad virtutes Christiano homine dignas. Quomodo sit *efficax* juxta illud Davidis PSAL. XLV. *Debit vocem suam, et motus est terra.* Et ex predicatione Christi et Apostolorum abundantius patet. Quomodo *penetrabilior* sit omni alio gladio, utpote pertinens usque ad divisionem animæ, ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, ut verus de illo, quam de gladio Goliathi dicatur: *Non est alter similis huic.* 2º Ostendatur, quomodo hoc gladio uti debeant, nempe eum stringendo, hostique opponendo, juxta exemplum Christi, qui singulas Dæmonis tentationes sententia S. Scripture objecta elusit. Demonstratur proin practice, quomodo id ipsum quoque Auditores facere debeant.

VII. Ex occasione thematis: *Prudentes Virgines aptate cestas lampades. Vel: Prudentes autem ornaverunt lampades suas.* MATH. XXV. potest Concionator pro felici auspicio Igniarium (ein Feuerzeug) offerre. Et 1º quidem ostendere, quantopere necessarius sit ignis amoris divini, ut lampades preparatas, ac ardentes habeamus, et ad celestes Nuptias admittamur, quem in finem tota Parabola de Virginitibus prudentibus et fatuis recenseri potest. 2º Dicat, se ideo a Christo missum, ut ignem hunc accendat in eorum cordibus, ideoque cum eodem Christo jure merito dicere: *Ignem veni mittere in terram* (et corda vestra) *et quid volo, nisi ut accendatur?* LUC. XII. 3º Dicat, se ad hunc finem igniarium offerre, ut sciant, quomodo hunc

ignem accendere debeant. Sicut enim ad ignem excitandum tria requiruntur, chalybis seu ferrum percutiens, lapis percussus, et fomentum excipiens ignem, ita ad ignem amoris divini exsuscitandum requiritur Verbum Dei velut lapis ignitus juxta illud LUC. XXII. *Nonne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis in via?* explicatio et meditatio affricans lapidem, et ignem eliciens juxta illud Psalmiste PS. XXXVII. *In meditatione mea exardescet ignis.* Et cor bene excitatum a delectionibus terrenis, ut dicere possit cum Davide PS. CVII. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

VIII. Ex occasione thematis: *Mandatum lucerna est, et lex lux.* PROV. VI. potest Concionator pro felici auspicio lucernam parvulam et portatilem Auditoribus offerre. Et 1º quidem ostendere, quam convenienter Verbum Dei luci comparetur, tum quia illuminat juxta illud PSALM. XVIII. *Præceptum Domini illuminans oculos:* tum quia accendit, et calefacit juxta illud LUC. XXII. *Nonne cor nostrum ardens erat quando loquebatur nobis in via?* tum quia exicat et purificat juxta illud ACR. XV. *Qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, et fide purificans corda eorum.* 2º Ostendat, quantopere Diabolus huic luci insidetur, eamque extinguere conetur, sciens sine fide impossibile esse placere Deo. Eum in finem dicat, lucernulam offerre, nempe *custodium Verbi Dei auditii*, quæ quidem custodia quantum requirit partes juxta quatuor latera lucernæ, nimirum. 1º *Attentam auditionem* juxta exemplum Samuelis I. REG. III. dicens: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* 2º *Acratam meditationem* juxta exemplum Davidis PS. CXVII. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.* 3º *Cerebram recordationem* juxta monitum Dei. JOSUE I. *Non recedit volumen legis hujus ab ore tuo, et meditaberis in eo diebus et noctibus, ut custodias et facias omnia, quæ scripta sunt in eo, et tunc dirigeritiam tuam, et intelliges eam.* 4º *Sedulam praxim seu executionem*, quia teste S. Paulo ROM. II. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur;* et hæc quatuor custodiæ velut fenestellæ arcem quatuor ventos seu conatus Dæmonis, quibus hunc ignem extinguere conatur, efficiendo scilicet, ut Verbum Dei non audiat attentè, vel non ponderetur, vel oblivioni detur, vel executioni non mandetur.

Quomodo pro felici anni novi auspicio habenda sit concio.

Thema.

Evocatum est nomen ejus Jesus. MATH. I.

Scopus.

Docendi Auditores, quomodo quisque secundum suum statum vivere, et quid in eo maxime observare debeat.

Nota, huc syllogismum principalem premissi non posse, eo quod multiplex valde doctrina, eaque prosus disparata proponatur, nisi velis hunc generalem valde syllogismum premittere. Tunc SS. Jesus nomen magni merito faciendum est, quando salutare admodum per ejus litteras doctrinæ omnibus statibus suggeruntur; atqui verum est antecelens, ergo et consequens.

EXORDIUM.

Communis quidem apud nos Germanos consuetudo est, ut hoc die felicem quisque amico suo novum annum precetur; sed hæc apprecatio plerumque in nudis verbis consistit; pauci quippe sunt, qui medium offerant ad talem annum feliciter transigendum. Ego itaque melius observabo hunc morem, neque enim annum tantum felicissimum, omnique bonorum genere refertissimum omnibus et singulis ex intimis præcordiis apprecor, sed talem etiam strenam offeram, quam si benevole susceperint, et, ut ostendam, usurpaverint, certissimo hunc annum felicissimum sunt experturi. Est autem hæc strena non alia, quam SS. nomen Jesu, quod hodierno die recens nato Infanto ac Servatori nostro impositum est; quod totum sic omnibus offero, ut tamen singulis statibus non nisi singulas litteras ex eodem sint oblaturus. Quid autem hæc litteræ sibi velint, et quam salutare doctrinæ contineant, jam nunc fusius explicare aggredior, sperans, tanto majorem a vobis attentionem, quanto majorem ex hoc xenio doctrinæ fructum potestis expectare.